

Secundarius: Sui ipsius perfectio; quam magis Christianè vocamus: amissæ Imaginis divinæ in nobis restaurationem.

XXI. Secundarius. *Proximus ratione assequutionis, supr. thes. 5. Cujus rei consequens non contemnendum cernere erit infr. τῆς τεχνουσκοπίας Disput. 1. de fine artis.*

XXII. Sui ipsius perfectio. Proprius cujusq; disciplinæ finis debet commensurari ad generalem, qui est perfectio aliqua hominū. Nam quia ea est hominis imperfectio, ut non possit hoc vel illud scibile accuratè cognoscere: necesse est, ut peculiari disciplina peculiarem defectum tollat. Sic v.g. homo non potest perfectè cognoscere corporis naturam. Necesse igitur est, ut sit aliqua disciplina, quæ huic defectui medeatur. Hinc philosophia confertur cum pharmacopolio, in quo varia sunt medicamenta variis morbis opposita. Et ideo solet dici: Tot esse partes philosophiæ, quot modis homo, ut homo, est edificabilis. *Alsted. Technol. d. 1. Reg. II. Quælibet ars in peculiari aliquo hominem perficit, & ejus perfectionis gratia peculiaria media tradit in aliâ non inveniendâ, Timpl. d. artib. liber. c. 2 probl. 2.*

XXIII. Plato idem innuit, quando philosophiam vocat δύναμιν θεραπεύουσαν τὴν ψυχὴν τῆς ψυχῆς.

XXIV. Idem conceptis verbis discipulus (quamvis ut ethnicus obscure) 2. Phys. 8. dicens: ἡ τέχνη ἐπιτελεῖ, ἀπὸ τῆς φύσεως μὴ δύναται ἀπεργάζεσθαι. ἢ 7. politic. 7. ἡ τέχνη ἐλέγεται ἀναπληρῆσαι τὴν φύσιν ἐλλειπῆς.

XXV. Dico: obscure: quia ipse veram hujus defectus causam in homine ignoravit; quam nos scimus esse imaginis divinæ per lapsum primorum parentum amissionem.

XXVI. Magis Christianè. Ita namq; philosophari amamus, ut externa illa philosophorum ethnicorum, per nostra h. e. Christiana interpret-

pre-